



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 165. Quem vultis, ut dimittam vobis, unum ex duobus? v. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

opinio, dum ex suo alios meretur iudicio, & non per rectum iustitiæ tramitem, sed per politicos agendi modos viam sibi novam parat.

O Cœlum! ô terra! lugeat omnis creatura ad stupendum facinus, Virtus despicitur, vitium exaltatur & eligitur, & quidem à senioribus, proventioribus, & doctioribus, in Lege, qui & virtuti & iustitiæ præ cæteris studere deberent, ut sunt Sacerdotes, principes, scribæ. Ecce hi dicunt & docent malum bonum, & bonum malum. ô perverfitatem!

Domine, licet bonus dici minime possim ob multitudinem peccatorum meorum; videns tamen hanc agendi rationem valde exhorresco, & ideo precor ne sinas me eo venire intipientiæ, ut velim docere malum bonum & bonum malum, aut à vera iustitia avertere animos fidelium sicut hi principes Iudæorum & Sacerdotes & scribæ verbo & exemplo suo fecerunt magno suo malo.

§. 165. *Quem vultis, ut dimittam vobis, unum ex duobus? v. 21.*

Ex prudentia quadam humana proponit hic duos & non plures Pilatus Iudæis nec alium cum Christo quam Barabbam illum nocentissimum cui sciebat omnes esse offensos ob seditionem, homicidium, laceratum publicum, & ideo ne suspicari quidem poterat illum ab ipsis absolvendum ut vel sic utriusque conspectu, facturum utriusque admonerentur & eligerent, quem amarent, sed quid fit? qui tam prudens, tam sanctus est, & benefactor omnium nostrorum, non solum componitur à Pilato cum omnium pessimo nequam, in periculo vitæ & honoris, sed etiam à populo postponitur. mundus hæc non capit. Hic indignum iudicat, quod vir honestus, bonæ estimationis & vitæ comparetur cum malevolo vitioso & nequam homine; Christus patitur finiri, tolerat, tacet. O Pater! cur pateris, ut Pilatus ita comparet filium tuum? Quia intendo bonum vestrum, illa humilitas ad vestram doctrinam ordinatur. attamen ô bone Iesu quam rite & recte hic potuisses dicere Pilato, & conqueri, quod Isaiæ 40. dixisti? *Cui me comparasti? sed video ô Domine te maiorem adhuc ignominiam expectare, ut superbia nostra, humiliatione maiori sanetur, omnes enim filii huius sæculi, sicut Adam peccaverunt, Domine, quærentes esse sicut Dii, & edificantes turrin Babel cum patribus suis, prevaricatores Legis quam dedisti, nolentes subiici tibi, & currentes cunctis collo adversus te. In visceribus peccatorum sedet superbia, regina vitiorum, quasi in scolio suo & impellit stultos ut ambulent in magnis, & in mirabilibus super se. Quod adeo verum est Domine ut & ipsi homines plebei & abjecti quærant excellentiam in stercore vilium exercitiorum suorum, quibus vivunt, nam de Nobilioribus, qui gloriantur in virtute sua, manifestum est quod superbia eorum*

tum ascendat semper, gravissima infirmitas hæc est, quæ creaturas tuas Domine facit rebelles & similes Lucifero *super astra Dei ascendenti & exaltanti se, ut mala emulatione fieret similis altissimo.* hoc grande malum facit homines oblivisci conditionis suæ, & maiora se ambitiosissime querere. Discipuli vero tui Domine cognoscentes hoc malum, quod est principium apostatandi à te, exercent seiplos vilissimis exercitiis, quantum fert status illorum, & multis præliis pugnant contra spiritum insipientem, inimicum gratiæ tuæ, Pontifices Romani, Cardinales, Episcopi & alii procumbunt in Hospitalibus tuo exemplo ad pedes pauperum, lavant, terunt, reficiunt. neque contenti sunt exercitio esto, quo ipsi seiplos continent infra se, sed studiosissime curant, in vestibus & sermone celare, quidquid alti ambitum sapit, vident etiam se non acceptaturos dignitatem vel prælaturam, nisi obedientia compellantur, ut sic *conterat caput serpentis qui insidiatur calcaneo novissimorum anima sua.* & quod mirabile est comparatione amatorum mundi, quærent occasionem contumeliarum & improperiorum ad extinguendum sensum excellentiæ.

O Domine, quam fortes sunt isti milites tui, qui sensum acutissimum propriæ æstimationis comprimunt! parati contemni & irrideri pro pietate pauci quidem sunt isti constantissimi, quorum laudes annuntiabit Ecclesia sanctorum, quia fecerunt mirabilia magna nimis, & hoc tuo exemplo edocti. Obsecro te Rex virtutum, edocear & ego gratiam talem ut me contemni sinam sine data causa, & nihili æstimari propter nomen S. tuum. Hæc est enim victoria brachii tui, in quo facis potentiam & dispergis superbos ex altitudine cordis sui, non ut pereant, sed ut meliores evadant, quam erant.

§. 166. *At illi dixerunt Barabbam. v. 21.*

O Iudæi, quid petitis? Quid clamatis? considerate oro, quid clametis, cæcitas hæc vestra est imo furor, quid enim aliud hoc est, quàm petere ut occidatur, qui suscitatur mortuos, & dimittatur qui occidit vivos, pereat lux & remaneant tenebræ, auferatur pacificus, relinquatur seductivus: nolumus vitam præoptamus mortem denique ex contemptu ne nomen quidam Christi exprimum, Barabbæ autem nomen, uti dulce & amicum lambuat, hunc petunt liberari: cum hoc libentius volunt pascha suam celebrare quam cum Iesu. Barabbas, etsi pessimus, tolerabilior ipsis est quia ipsos non arguebat, sed similia ipsis faciebat; Christus autem intolerabilis, quia vitia arguebat & dissimiliter ipsis vivebat, hic igitur est clamor ille de quo *Isa 5. Expectavi ut facerent iustitiam, & ecce clamor.* Et Hierem. 12. *facta est mihi hereditas mea, sicut Leo in silva, dedit contra me vocem, sicut enim leo voce & rugitu terret, sic*

ist